quod quale sit intelligis. Reuerenter enim peto me publico testimonio tua manu scripto et sigillo confirmato ornari, quo aditus ad doctorum hominum Amicitias me insinuare, et ~~[illegible]~~ maleuolorum calumnias meae famae insidiantes, fortiter refutare possim. Hoc beneficio te studijs meis, quae hactenus tua solius opera prouecta sunt, nunc non defuturum, summa humanitas tua et facilitas quâ scribendi laborem suscipere soles, mihi pollicentur. Ego etsi pro innumerabilibus meritis tuis quae quidem nec ~~[illegible]~~ satis intelligo, parem tibi gratiam referre non possum, ~~tamen~~ hoc tibi certo polliceor me manibus pedibusque elaboraturum, vt olim intelligas nullum officij genus a me praetermissum esse, quod a gratissimo discipulo expectari, et a mea tenuitate praestari poterit. Nunc aliâ ratione meam Voluntatem declarare non possum, quam vt pia praedicatione tuas virtutes et benemerita in me collata, omnibus amicis praedicem: Quod vt faciam et mea voluntate, quae semper ἀχαριστίας crimen semper horruit, ~~[illegible]~~ incitor, et diuino mandato quo grauissimae poenae ingratis denunciantur, moueor. Sed de mei erga te animi obseruantia antea tibi non ignota plura hic non addam, ne longiori Epistola legendi potius taedium quam rescribendi studium in te excitem. Ad alia igitur nunc venio. Quod ad domestica negocia attinet scripserunt ad te accuratas literas Magnificus ~~[illegible]~~ Dominus Rector et M. Tilmannus commensalis noster: Quare supervacaneum esset statim eorum hic subnectere. Literas tuas de mutatione mensae instituenda